1

IOH. FRID. HERELII

EPISTOLA CRITICA

AD

V. CL.

IOH. GE. MEVSELIVM,

LIBERALIVM ARTIVM

IN ACADEMIA HALENSI MAGISTRVM,
ET INSTITVTI REGII DISCIPLINAR.
HIST. QVOD GOTTINGAE FLORET,
SODALEM.



ALTENBVRGI

EX OFFICINA RICHTERIA. CIƆ IƆ CC LXVII.

Celeb. Vit
se comm
am.

VIRO
DOCTISSIMO ET AMICISSIMO,
IOH. GE. MEVSELIO,
S. P. D.
IOH. FRID. HERELIVS.

— — — *Bella, horrida bella,*
Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno!

Nunc enim veriſſime nuper Te mihi praedixiſſe intelligo, fore, vt ſatirae meae maximos tumultus in luſtro illo Moropolitano excitent. O augurem Te dexterrimum! Qualia mihi amicos portenta nuntiare exiſtimas? Fremere ciues omnes et indignari, furibundos per vias diſcurſare cauſſidicos, meque petulantiſſimis conuiciis proſcindere, pingues autem ſacrificulorum greges dignum me, qui in *Gebenna* aeternum, vt mos eſt, crucier, vetulis accinentibus, clamitare. O hominem me

felicem beatumque! Ecquis me viuit hodie vsquam terrarum fortunatior? Nam quid iucundius mihi, honorificentiusque accidere posse iudicem, aut de quo iustius gloriari fas fuerit, quam si me ab istis lacerari audiam, quorum ne laudes vnquam ferrem, a puero caui sedulo, quosque si mea studia probare comperirem, animo prorsus conciderem, ac mihi ipse totus merito displicerem? Semper, crede mihi inimicitiis hominum ineptorum plurimum, atque impensius etiam, quam laudibus amicorum delectari consueui. Cur nunc demum ira accendar, cur mihi fieri iniuriam, me peti opprobriis, de me actum esse, querar? Rodant isti, si volupe est, Herelium, et allatrent, quaelibet impune confingant mendacia, quin etiam libellos famosos, quot volent, per famelicum parasitum M*** componendos, describendosque formulis curent;

praesens

praesens mihi semper in promtu erit vindictae genus, — hilaris et tranquillus tantos furores affatim ridebo. Atque etiam nimis velim, vt responsionem ad satiras meas, quam se prolaturos ambitiose minantur, edere festinent. Incredibili enim desiderio, publice a talibus irrideri, me flagrare, quid negem? Habebimus hercle! libellum, quo animum oblectemus suauissime, quem nunquam ab ambulationibus nostris, ceu Flaccos, Gleimios, Hagedorniosque abesse patiemur.

Sed ohe! satis iam de misellis dictum esto. Alia sunt, de quibus Tecum confabulari gestio, quae etsi leuia Tibi, vt sunt certe, et ludicra videbuntur, mihi tamen, spero, vitio non vertes, quod his potissimum litteris animum aegrum studeam consolari, quas ab ineunte aetate tenerrimo semper affectu colui, idque hoc tempore, quo sortis sinistrae

acerbitas, callidaque inimicorum meorum improbitas, pridem ex occulto molesta, extrema mihi omnia haud obscure minantur. Nam vt nunc rerum mearum status est, nisi Deus aliquis mature subuenerit, in perpetuum mansuetioribus disciplinis remittendum nuntium esse intelligo. Quod igitur illos facere videmus, quos ab amicorum veterum, quibuscum per longum temporis spatium coniunctissime vixerunt, dulci consuetudine heu! dura fatorum imperia auocant, vt quod adhuc supersit temporis, id omne in iucundissimo eorum consortio, quo se proxime carituros dolent, atque etiam maiori aliquanto cum ardore voluptateque consumant; id nunc quidni ego quoque faciam, atque dum libellos meos, qui me adolescentulum nunquam non humanissima suauitate tenuerunt, supremum fortasse euoluo, quaedam etiam pristini huius amoris ex-

stare

ſtare veſtigia, et gratum quaſi animum publice teſtari cupiam? Equidem cum lectione veterum ſcriptorum, multis licet ciuium meorum indignantibus paſſim, paſſim irridentibus, ita caperer, vt quod his deliciis anteferrem, omnino non haberem, factum eſt, vt accuratius paullo animum grato labori intenderem, nec fas fere putarem, quidquam relinquere, quod minus recte intelligere viderer. Quare obuias paſſim ſalebras ſecura negligentia praeterire nolui, quin potius, quomodo quam aptiſſime tollerem e medio, circumſpicere coepi, ideoque praeſtantiſſimas cuiusque editiones, ſcriptaque recentiorum Criticorum paene cuncta, euolui. Verum haec auxilia non ita certa experiebar, vt non ſaepius, quam exſpectaſſem, aeſtuantem plane deſtituerent, quamquam, quae animaduertiſſem ipſe, iam ante ab aliis occupata laetus ſubinde deprehendebam.

facerem? Audacem me reddidit consilii inopia; ex dubio consultore is sum repente hariolus, ac varias iecturas chartis inter legendum mane instituí. Quarum si quasdam in ispectum Tuum prodire iussero, si : iam veluti arbitrum earum consti- am, ecquid, quaeso, feres molestius? linutiora haec sunt, fateor, quam uae iudicio Tuo limato submittere de- :eat, verum vt es humanus et facilis, quid non homini, Tui studiosissimo, condonabis? Nunquam profecto animo tempus excidet, quo Halae Te apud communem patronum, perill. Klotzium, (o nomen dulce mihi semper, sanctum- que!) primum noscere datum est, il- lamque in Te doctrinae ingeniique ra- ram praestantiam admirari, quae laudis meae minime indiget, abunde dudum optimo cuique spectata et celebrata. O horas, quas in illa domo, quam Musae

ipsae,

ipſae, Gratiaeque ſedem ſibi elegiſſe videntur, inter ſermones hominum elegantiſſimorum liberos iucundiſſime transegi! O noctes coenaeque Deum! Vt iam nil mihi, praeter acerbam veſtri memoriam relictum eſt! — Verum, cum haud amplius Tua conſuetudine frui mihi liceat, dabis hoc certe precibus meis, meque, vt facis, abſentem conſtanter amare perges. Nunc ergo hoc qualecunque amicitiae pignus, criticas nonnullas Herelii Tui animaduerſiones aequus ſuſcipe, quarum ſi pauculas forte haud improbaueris, quid eſt, quod me operae, his tricis impenſae, poenitere debeat? Sin contra veteris aegroti ſomnia diuitias noſtras deprehendes, Tuam magis vicem, qui tempus ſterilibus nugis fruſtra impenderis, quam noſtra parum dextre eueniſſe auguria, dolebo. Hoc igitur agamus!

Iam primum, quae ad Apuleium aliquando notaui, animus eſt expromere,

cuius me lectione, quamuis ob dicendi genus insolitum et peregrinum parum, vt nosti, commendandi, lubenter delectatum recordor. In quo emendando, quid non Critici operae posuerunt? Nemo fere sibi placebat, qui non coniecturis aliquot Apuleium iuuisse crederetur, adeo, vt si a Plauto et Minucio Felice discesseris, nullus maiori interpretum numero superbiat. Cui me quoque turmae pugnaci adiungere ecquid dubitem?

L. 1. de Habit. Doctrin. Plat. p. 2. l. 25. ed. Elmenhorst — ad Pythagorae disciplinam se contulit. Quam etsi ratione diligenti et magnifica instructam videbat, rerum tamen continentiam et castitatem magis cupiebat imitari.) Vellem, hic nos docuisset aliquis, quaenam ista *rerum* sit *continentia* et castitas, aut quomodo formula commode explicari possit. Satis certe clarum est, istas virtutes *rationi*

tioni diligenti, ſeu doctrinis ſcitisque ipſis Pythagoreorum opponi, atque hinc deſiderari perſonas, in quibus conſpicuae Platoni admirationi fuerint. Mendum in voce: *rerum* latere ſuſpicor. Dum alii melius diuinent, repono: *fratrum.* Nota eſt arctiſſima Pythagoreorum coniunctio, de qua cf. Menag. ad Laërt. 8. ſ. 10. et quem ibi laudat, Diod. Siculi locum. Potuit ergo Apuleius, vt ſemper affectat reconditam eruditionem, eos *fratres* κατ᾽ ἐξοχὴν vocare. Fuit, cum mallem: *ſectatorum*, ſed nimis audax coniectura videbatur.

p. 5. l. 23. Non ſolum nullam horum partem extra orbem relinqui, ſed vim quidem eius extrinſecus inueniri.) Sermo eſt de mundo, ex elementis quatuor compoſito; ſed verba, vt nunc ſe habent, ſibi inuicem repugnare, quem fugit? Verae lectionis veſtigia ſeruant editiones primae: *nihil quidem etc.* Elmenhorſtius

horstius scripturam codd. Florent. et Fuluiani, nescio quare, exhibere maluit. Quid si ex vtraque tertia vera exsurgat: *sed ne vim q. etc.* Sensus sic manifestus redditur, et est, quod τῷ *non solum* respondeat.

p. 8. l. 3. mortale genus corporum ex eo diuidi Terrenum atque Terrestre; sic enim χοϊκὰ censuit nuncupanda.) Leue mendum editiones occupat omnes, *censuit* falso pro: *censui*, nobis sistentes. Non enim Plato, sed Apuleius vocem graecam interpretatur. Rursus Noster, p. 16. l. 28. *visus nulla ratione collectus.* *Sic enim* ἄλογον τριβὴν *elocuti sumus.* Supra etiam p. 6. l. 27. vbi naturam διανοητικὴν, cogitabilem et intelligibilem explicat, addit: *detur venia nouitati verborum, rerum obscuritatibus seruienti.*

L. 2. p. 13. l. 35. quae sequenda, fugiendaque sint, honesta esse, ac turpia; illa

illa voluptatis, haec laudis; haec vero dedecoris ac turpitudinis.) Itane Platonem turpia laudabilia dixisse, Apuleius memoret? Quis tale quidquam Nostrum scripsisse sanus credat? Sed bene est! Sequentia non Apuleium, sed librarios peccasse ostendunt. Iam pro priori: *haec*, *ac* restitue. Sentisne vitium omne prorsus euanuisse? —

De Deo Socratis. p. 46. l. 11. cum quatuor sint elementa notissima, veluti quadrifariam natura magnis partibus disterminata quae sit, propria animalia terrarum et flammarum.) Nae is mihi erit magnus Apollo, qui haec sine emendatione explicare poterit. Nihil adest, ad quod animalia illa referantur. Cuperem rescribere: *disterminata*, *quaesiit etc.* Nempe natura terras ac flammas suis quasque animalibus instruxit, eaque quasi ciues conuocauit, qui eas incolerent, ne pars vlla relinquatur deserta. —

p. 47.

p. 47. l. 17. caput editi montis ceu quibusdam curuis torquibus coronarent.) Non damno plane: *curuis:* ſed vide, annon elegantius auctor reliquerit: *furuis.* Mihi quidem prius iſtud torquium epitheton hic otioſum videtur. Noſtrum contra naturae non minus ac dictioni Apuleii, paſſim poeticae, probe conuenit. De commutatione *curui* et *furui* cf. Drakenborch. ad Sil. Ital. VI. 149.

De mundo. p. 58. l. 29. Exin inferioris aëris qualitas turbidior infunditur, cui permixtus eſt glacialis rigor: ſed ſuperioris vicinia claritatis et propinqui caloris afflatu niteſcit, ac ſinceriore interdum luce veſtitur.) Vt taceam, niteſcere ac luce veſtiri verbis tantum diuerſis, vnum idemque exprimere, cum tamen cauſſae geminae, claritas et calor memorentur, quam recte quidquam caloris afflatu niteſcere dici queat, neſcio.

nescio. Leuissima mutatione corrigo: *mitescit*. Firmat suspicionem locus similis p. 68. l. 9. *tepores frigus glaciale mitificant*.

Breuiter nunc menda quaedam eximamus, exigua illa quidem, sed menda tamen. p. 68. l. 40. Deum per omnia permeare, et ad nos, et ad vltra potestatem sui nominis tendere) praestare credo, et aptius ad potestatem quadrare: *numinis*. Sic p. 72. l. 40. *mundi salutem tuetur Deus, apta et reuincta sui numinis potestate*, nec infrequens harum vocum in codd. confusio. p. 69. l. 20. tecta fulgerent eboris niue, argenti luce, flammea auri, vel electri claritate.) Immo, auro laudem suam singularem, qua cetera quoque hic gaudent, reddamus: *flamma*. p. 72. l. 41. Huius locum quaerimus, neque finitimus est etc.) inserendum, quod excidit: *si*.

Alloc.

Alloc. Herm. ad Asclep. p. 91. l. 8. Cum Trismegiſtus de futura Aegypti infelicitate, religionum corruptione, hominum ſtrage expoſuiſſet, addit: His amplius, multoque deterius ipſa Aegyptus ſuadebitur.) Corruptum verbum extremum ſcrupulum cuiuis, credo, iniicit. At nullus relinquetur, ſi mecum emendes: *foedabitur*. Quae ſequuntur, ſine codicum auxilio ſanari vix poſſunt.

p. 93. l. 20. procellis turbinibusque aeris, ſaepe diſcordantibus, tradet.) Vt languet illud: *ſaepe!* Tu frigus diſſolue, et meo periculo corrige: *ſaeue*. De vocum earum confuſione cf. Burm. ad Ouid. epiſt. 14. 39.

Metamorph. L. 1. p. 105. l. 1. vt ab vmbilico pubetenus cetera corporis renudaret.) Num accedes mihi, Vir Amiciſſime, ſi parum hic arridere τὸ *cetera* fatear? Aliud quoddam verbum membra, quae nominat, exigere videntur.

tur. Scire forſan cupis, quid ipſe excogitauerim? — Ignoſce; *ſecreta* ſunt, talia temere nec amicis credimus. Viden Herelium

— egregii mortalem altique ſilenti? —

L. 2. p. 117. l. 1. Tunc minus morigeros et viles faſtidiens, in ſaxa — reformat.) Maga quaedam laſciua deſcribitur, eiusque in amatores miſeros crudelitas. Veniam profecto a Te impetraturus ſum, ſi verbum reuocavero, doctioris illud nequitiae, quam quae a bonis deſcriptoribus intelligi potuerit. *Viles*, ſi me audis, faceſſere hinc in malam rem iubeto, ſuccedere autem: *inutiles.* Sic nempe Romani appellarunt miſellos iſtos, quos monachi *frigidos et maleficiatos* in Iuris Canonici vegrandi mole vocabant, ipſi nonnunquam minime maleficiati, *vtiles* contra, *τὼς δυνατὼς Κύπριδος ἔργα τελεῖν*, vt ait Theocrit. epigr. 4. 4. Sic plane Ouid.

Amor. 2. 10. 27. *lasciuae consumto tempore noctis Vtilis et forti corpore mane fui*, et Epist. Her. 21. 93. *O nec adhuc iuuenis, nec iam puer, vtilis aetas!*

p. 118. l. 25. Venus — licet omni Gratiarum choro stipata, et toto Cupidinum populo comitata, et baltheo suo cincta.) Palatinus codex, teste Elmenhorstio, *communicata*, repraesentat. Fortasse genuinum fuit: *communita*.

L. 3. p. 130. l. 36. spirantes adhuc corporibus in multo sanguine palpitantes.) Ferri quidem potest vulgata lectio, attamen ad spectaculi atrocitatem depingendam efficacius scriptum fuisse arbitror: *mutuo*. Poëtis inprimis imago familiaris est. Sic Statius Theb. 4. 400. *alternaque truces moriuntur in ira*, et 11. 153. *perfossi in sanguine fratris Exspirare cupit*. Plura loca adscribere, quid opus est? Pricaeus: *alto* substituere volebat, quod minus placet.

L. 4.

L. 4. p. 146. l. 4. iam cetera Lapithis Thebanis, Centaurisque ſimilia.) Hoc, *Thebanis* cuncti fatentur eſſe corruptiſſimum, neque enim Thebae quidquam ad Lapithas. Stewechius in Coniectan. ſtuduit emendare locum, et pro *ſimilia*, *ſimiles* bene quidem repoſuit at eidem: *Threcibus* nimis licenter corrigenti, accedere nequeo. Codicum varietas, Elmenhorſtio notata: *Thebanibus*, *Thelamibus*, *Thelamis*, *et Thelamonibus*. An fas erit, ex his ſordibus exſculpere ſincerum: *Haemoniis?* Circa montem Haemum gentium earum ſedes fuiſſe ferunt. Ouid. Met. 12. 213. de iisdem: *Haemonii proceres aderant*, et v. 353. Centauri meminit: *Haemoniis qui montibus vrſos Ferre domum — ſolebat.*

L. 6. p. 177. l. 16. Sic aſſignato tantorum ſeminum cumulo etc.) Qua ratione hordeum, milium, papauer, ci-

cer, lens, faba, femina *tanta* vocari pos- sunt? Suspicor, a manu Nostri esse: *tot vnitorum*, nimirum quae Venus, vt supra ait, aceruatim commiscuerat, et in vnum grumulum confuderat. Caussa deprauationis in aperto est. Cum *ta* ab antecedente simili syllaba esset ab- sorptum, remansit: *t vnitorum*, quod quisnam librarius non in: *tantorum*, verteret?

L. 7. p. 193. l. 12. paullo iam clarius, contemta mea praesentia; bono animo es, inquit, etc.) Post: *praesentia*, in codice Florentino additur: *quaesiere mor- tui*, in Bertinio et Romana editione: *quieuere mortui*, quae ab Aldo inducta, ipse quoque omisit Elmenhorstius. Sed non de nihilo adesse haec, licet cor- rupta, persuasum habeo. Sensus com- modus emerget, si legamus: *quasi vere mortui*. Tali enim asinum confabu- lantes merito comparabant, vt qui

nec

nec ipse audire sermonem, aut euulgare posset.

p. 199. l. 15. collo constrictum reducunt eum pastores molesti.) Ad haec Pricaeus: "Fero moleste vocem istam, „nec moueo tamen; est enim in omnibus libris, nec saltim in scriptura variatur." Ignoscite, manes Pricaeani, audaciorem me finxit natura, ideoque scripsisse Nostrum aio: *modesti.* Num leuius mutare poteram? Per iocum, vt solet, modestos appellat, qui miserum viatorem ad terram detractum, pugnis pulsauerant, et calcibus contuderant. Similem ironiam inuenies p. 186. l. 10. p. 140. l. 28. et 34. p. 206. l. 20. et alibi passim.

L. 8. p. 211. l. 10. qui eum prorsus hunc illum, nec alium locorum inquilinum praeminabantur.) Inepta haec est tautologia, et vel sono ipso auribus ingrata. Mendi sedem opportuni mihi

 indica-

indicauit codex Florentinus, in quo: *euum*, ſcriptum exſtat. Veram reduco Apuleii ſcripturam: *auum.* Scilicet de ſpectro agitur, quod ſub imagine ſenis, qui nepotem infantem in foueam decidiſſe fingebat, deceptos miſeratione viatores iugulare ſolebat. Cf. p. 210. l. 25. vbi: *nepos namque meus*, et l. 29. *auum ſibi ſaepicule clamitantis.*

L. 9. p. 222. l. 26. homunculi vibicibus liuedinis totam cutem depicti.) Legendum puto: *liuedineis.* et p. 223. l. 14. Fabulam denique bonam, prae ceteris ſuaue comptam,) ad ductum codicis Bertiniani, quem: *ſuauem compertam*, habere aerumnoſiſſimus Elmenhorſtius teſtatur, lubenter refinxerim: *ſuavem compertu.*

p. 228. l. 18. viminea cauea; quae fuſtium flexu in rectum aggregata cumulum,) Bertin: *intectum*, Flor: *intexetum.* Monſtrum verbi! An fuit: *in teretem?*

L. 10.

L. 10. p. 245. l. 33. debere cunctis artibus communis dispendii latronem inquiri.) Melius duorum sociorum consilio conuenit: *iunctis*, et fauet nonnihil ita sentienti versus Claudiani, Pricaeo laudatus: *animosque ligant commercia damni.* De solemni verborum istorum confusione videndus Drakenborch. ad Sil. Ital. IX. 641.

p. 256. l. 30. in quodam mollissimo arenae gremio lassum corpus porrectus refoueo.) Quid audio? Itane tot veluti gremia habuit arena, vt Lucius vnum ex multis eligere potuerit, in quo recubaret? Quis vnquam tam egregie ineptire sustinuerit? Si: *quodam* abesset, *gremio* neminem offenderet, nunc id simplicis notionis verbum, non quod metaphoram inferat orationi, subesse clare ostendit. Aut ego admodum fallor, aut: *grumo* locus sanandus erit. p. 177. l. 11. *grumulus* iam occurrit.

L. 11. p. 264. l. 16. da nomen huic ſanctae militiae, cuius non olim ſacramento etiam rogabaris.) Immo vero p. 266. l. 5. ſacris his ſe iamdudum deſtinatum ait. Corrigendum eſt ergo: *iam olim*, nec amplius quidquam relinquetur difficultatis.

Apolog. p. 327. l. 29. Tune vltro parentis tuae animum iſtis ſcrutaris.) Pro vocula: *vltro*, otioſa et ſenſu apto deſtituta geſtio Noſtro redonare: *lurco*. Iſto quippe titulo digniſſimus erat adoleſcens, quem alloquitur, perditus, qui a patruo nequam corruptus, a magiſtris, vt ait p. 336. l. 8. in ganeam fugiebat, atque inter ſcorta et pocula conuiuium agitabat. Vox haec aliquoties Apuleio vſurpata, cf. p. 213. l. 6.

Florid. p. 344. l. 16. factum, ſolus Alexander vt vbique imaginum ſummus eſſet.) Codex Florent. ſecundus: *ſimus*, atque Fulu. Vrſinus, cui nec ipſi

vulga-

vulgatum satisfaciebat, *vnus* correxit. Sed mendum, vt saepe alias, ex compendio scripturae ortum, negotium nobis desinet facessere, si scribamus: *simillimus*. Sequentia haud parum suspicioni fauent.

p. 345. l. 20. Meum vero vnumquodque dictum acriter examinatis, sedulo pensiculatis, ad limam et lineam certam redigitis, cum torno et cothurno iterum comparatis.) Hic quoque praestantissimae membranae Florentinae viam nobis ad genuinam lectionem reducendam, credo, aperuere. Namque illae: *verum*, exhibent, quod nullo negotio, atque etiam confidentius, quam alias soleo, muto in: *veterum*. Ea cura, inquit, dicta mea examinatis, vt ad veterum exemplar, tanquam ad regulam quandam exigere soleatis. Non opus est, hanc correctionem operosius, Tibi praesertim, commendare.

p. 347. l. 26. quanam moderatione obtineri queat tua iſta gratia, vita iucunda, mitis auſteritas, placida conſtantia, blandusque vigor animi.) Nullus omnino, quos hac de cauſſa conſului, interpretum explicauit, quaenam ſit iſta *gratia*, quidque *vita iucunda* inter cetera, quae Apuleius eleganter ſane ſibi alias contraria copulauit, venuſtatis habeat. Me miſerum! Itane ſolus quae cuncti ſe intelligere hoc diſerto ſilentio fatentur, qui meus eſt ſtupor, non capio? Quis tamen adeo iniquus fuerit, qui me amicis, quos hic eadem forſan inſcitia tenet, qualemcunque coniecturam meam proponere vetet? — *Grauitas iucunda!* Ain vero, non diſplicere hariolationem? Quin, quo magis adhuc placeat, loca quaedam aliorum adſcribam. Auſonius parental. ep. 3. v. 6. *grauitas comis, laetaque ſerietas.* Silius Ital. L. 8. ad fin. *Laeta viro grauitas,*

tas, *et mentis amabile pondus*, *Et ſine triſtitia virtus.* ibid. *gratus inerat viſentibus horror.* Statius ſilu. 1. 3. 91. *virtusque ſerena Fronte grauis* Nemeſian. bucol. v. 55. *Blanda tibi vultus grauitas, et mite ſeuera Fronte ſupercilium.*

p. 357. l. 4. plenius gratias, canaciusque libro mandabo.) Pro barbara voce et nihili ſolus, quod ſciam, Scioppius conabatur reponere: *canam*, *ociusque etc.* Quod in margine codicis Florentini eſt, *canam inque etc.* recentioris cuiusdam commentum eſt, quamuis Elmenhorſtio perplaceat. Num blandior mea ſuſpicio: *comtiusque* vel etiam: *ornatiusque?*

Satis Apuleio impenſum operae puto. Nunc Te ad Oppiani mecum carmina deducam, minime venuſtate ſua deſtituta, ac vel paucis, quae illis etiamnum inhaerent, maculis indigna. Cyneget. L. 1. v. 53. ed. Rittershuſ. Ὀυ μὲν ἄρ

οὐδ

οὐδ' ἁλιεῖ, καὶ οὐκ ἐτὸς ἰξευτῆρι, Ἄγρη νόσφι πόνοιο· πόνῳ δ' ἅμα τέρψις ὀπηδεῖ Μούνη, καὶ πόνος οὔτις, ἀναίμακτοι δὲ πέλονται.) Miror profecto, commentatorem, ſi quisquam alius, diligentiſſimum haec, vt ſaniſſima tacite praeterire potuiſſe, cum mendo puſillo deformata, manifeſto pugnent. Quid enim? Aucupium piſcationemque absque labore vllam eſſe vates negat, verum hunc grata voluptate compenſari et excipi. An nunc eum ſubiunxiſſe credibile eſt, laborem in his nullum adeſſe? Profecto hic ſtupor in Noſtrum nunquam cadit. Perſuaſum habeo, emendandum neceſſario eſſe: φόνος, quod verba proxime ſequentia: ἀναίμακτοι δὲ πέλονται, luculenter confirmant. Nulla caedes a piſcibus volucribusque timenda eſt, quam beſtiae terreſtres ſolae venatori minantur. Operarum errorem quo minus ſubeſſe putemus, verſio latina vetat. φ. corrumpi inter-

interdum in: *π*, docet Guil. Canterus in ſyntagm. de rat. emendandi Graec. auct. p. 31.

L. 4. v. 163. *Ου τοῖον Γάγγαο ῥόος — ὁππότε κρημνῶν Ἐκπροθορὼν ἐκάλυψε μολὼν δέμας αἰγιαλοῖο.*) Non ſatisfacit mihi, fateor, verbum: *μολὼν*, nec alios forταſſe, attentius paullo hos verſus perlegentes, quem infert orationi, languor fugiet. In eo cauſſam poſitam eſſe cenſeo, quod abeſt epitheton, ad: *δέμας* referendum, quorum vt nunquam parcus eſt Noſter, ita hic commode omittere vix potuiſſe credam. Vide, an bene coniecerim: *μέλαν*. Imaginis certe horrori pulchre conuenit littus nigrum, quod fluuius, praeceps ex montibus, cum mugitu ruens, inundat. Ita Apollon. Rhod. 2. v. 349. *ὠκυρόην ποταμὸν ἀκτὴν τε μέλαιναν* coniungit. Statius ſilu. 4. 4. 62. *nigrae littora Thules.*

Halieut.

Halieut. L. 5. v. 653. Κίψα δ' ἐπαΐξας δρεπάνῃ τάμε χειρὶ παχείῃ — ὀδέ τι μέλλει Δηθύνων.) Agnoſco formulam Homericam, verum, ni fallor, loco minus opportuno adhibitam. Exiſtimem, ab auctore profectum: ταχέῃ. Singulis paene verbis exprimere ſtudet ſummam celeritatem, qua ſpongiarii perficere moleſtiſſimum laborem coguntur.

Sed quoniam ſemel Oppianus ad manum eſt, iuuat errores quosdam inſigniores indicare, a quibus Rittershuſius, in concinnanda verſione latina, non ſatis ſibi cauit. Halieut. L. 3. v. 121. Λάβραξ δὲ πτερύγεσσι διὰ ψαμάθοιο λαχήνας Βόθρον, vertit: *per arenam ſortitus foueam*, quod qui intelligat, noui eſſe neminem. Feſtinanter enim vir magnus verba graeca perlegens, inueniſſe ſe arbitratus eſt: λαχήσας idque vertenti fraudi fuit. Nihil clarius, quam *fodiens* reddi debere. Simili modo in eadem

voce

voce peccauit Leichius in praef. ad Carm. ſepulchral. p. 13. vbi verſum ex epigrammate quodam: θυμῷ θαρσαλέῳ ζῶν ἔλαχηνε τάφον, ſic fecit latinum: *Animo ſtrenuo viuus me ſepulcrum ſortitus fuit*, notatus ideo graui cenſori Doruillio ad Chariton. p. 78. — L. 5. v. 529. Σταλάμενοι δόρυ κοῦφον ἀτάσθαλον ἐς πόνον ἄγρης, Thraces ibi deſcribente Noſtro, excurrentes ad delphinorum capturam nauicula, quam verſu ſequenti ἐπαγόμενον σκάφος vocat, quis credat, a Ritterſhuſio profectam verſionem: *Mittentes haſtam leuem?* Scribendum erat: *Inſtruentes*, *ſ. praeparantes ratem expeditam*, *leuem*. Reliqua peccata praetereo, paſſim enim lapſum interpretem animaduerti. At qualem virum! Quam illum varia doctrina et accurata inſtructum! Hic ſi ad vitam reuocatus, - - - - - - ; cenſen' repulſam non laturum hominem? — Hem! vbi omentum, et

faſtus

faſtus ſtupidus? Vbi litterarum cultiorum odium? Miſeret me Tui, o bone! Delicta maiorum immeritus lues! — Audin', quid reſponſi tulerit? *Conditione tua non vtimur!* —

Paucula ſunt, vt in viam redeam, quae ad Hyginum notaui. Fab. 61. ed. Staueren. Salmoneus, — cum — faces ardentes in populum mitteret et ciues,) Merito Munckerum offendit τὸ: *ciues*, quod hinc vt interpretamentum antecedentis *populum* expungendum credit, ratione non improbabili, niſi tutius illum in emendandis veterum libris verſari conſtaret, qui verba corrupta iuuare coniecturis, quam exturbare mauult. Vellem, liceret per Te mihi refingere: *ſilices*. His namque Salmoneus, grandinem etiam fortaſſe, vt fulmen, imitaturus, commode vti poterat. Nimbos certe, quibus grandines feruntur, conatum eum imitatione exprimere docet

cet Virgil. 6. 590. *Demens, qui nimbos — ſimularat.*

Fab. 69. Adraſto — reſponſum ab Apolline fuit. — Tunc Adraſtus, memor ſortium ſuarum.) Quid tandem eſt, dices, quod te hic offendere potuerit? An tu nullum locum non menda inquinatum eſſe tibi perſuaſiſti? — Verum animum, o Noſter, paullum huc aduertito. Quaenam verborum vltimorum eſt latinitas? Potuitne Adraſtus oraculum, quod ipſi generos futuros praemonſtrabat, quodque a Phoebo profectum Hyginus ait, *ſuum* vocare? Credo, ſi augur ſibi ipſe fata praeciniſſet, ipſe ſuo afflatu, quod ridiculum, rem mirabilem cognoſſet, haud inepte ita ſcribi. Nunc id non minus vitioſe dictum eſſe liquet, quam ſi quis conſilia amicorum, *ſua* vocare velit. Nunquam apud veteres ſortes alii, quam DIs, earum auctoribus, tribuuntur.

 Val.

Val. Flaccus. 4. 704. *Heu, quis datus iste Deorum Sorte labor*, 577. *animo redit illa meo sors cognita Diuum.* 2. 790. *auguriis promisse, et sorte Deorum.* Lucret. 4. 1232. *Diuum numen sortesque fatigant.* Quisquamne igitur audaciam meam accusabit, si tentem corrigere: *sacrarum?* Sic plane Ouid. Met. 1. 368. *auxilium per sacras quaerere sortes.* Quodsi tamen id vitium dictioni Hygini sordidae et castigatae parum deberi contenderis, praefracte Tibi repugnare nolo.

Fab. 119. Orestem esse mortuum, quem Aegisthus populo necandum demandauerat.) Qui, rogo, Pylades fraudem hanc praeclaram perficeret, et Clytemnestrae mortem Orestis probabiliter nuntiaret, si iste populo ad necandum traditus olim fuisset? An hospes Orestem in terris peregrinis obiisse narraret, cuius interitum auctores facinoris, si a plebe

plebe foret interemtus, praeſentes adſpexiſſent? Ea praeterea verbi: *demandauerat*, vis eſt, vt caedem Oreſtis occulte potius cuidam iniunctam fuiſſe appareat, quam ſane tyrannus adulter multitudini tuto imperare vix poterat. Corrige mecum ſodes: *bubulco.* Hac lectione admiſſa, recte Pylades nunc demum Oreſtem fato conceſſiſſe narrat, clam ſcilicet a paſtore ſeruatum. Fab. 72. iisdem verbis: *Haemon — Antigonam ad paſtores demandauit.* Oedipum quoque infantem paſtori interficiendum datum ſcimus.

Fab. 125. de Vlyſſe. Ira Mercurii iterum naufragium fecit.) Quidnam ex te audio, Hygine? *ποιόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων?* Itane Mercurius, numen Vlyſſi beneuolum et amicum, cuius opera Calypſus inſulam reliquerat, Odyſſ. E, qui eum Moly radice monſtrata adverſus Circes incantationes muniuerat,

his verbis inter alia vſus: ἀλλ' ἄγε δή σε κακῶν ἐκλύσομαι, ἠδὲ σαώσω. Ibid. K. optimisque conſiliis inſtruxerat, quod ſupra ipſe narraſti, hic, inquam, acer ipſius hoſtis et iratus a te nobis ſiſtitur? Quis te malus abſtulit error? Sed bene eſt; librariorum culpam, non tuam, liquide agnoſcimus. Scripſiſti procul dubio: *Neptuni.* Hic miſero, vt ex Homero diſcimus, ob excoecatum Polyphemum filium ſemper infeſtus fuit, ratemque perdidit, atque Phaeacum navem, qua domum deducebatur, in lapidem transformauit, quod tu falſo nouum naufragium appellas. Interpretes, quod mirere, tenuere ſilentia cuncti.

Hygino comitem dabimus Frontinum. L. 1. c. 4. ſtrat. 13. ed. Oudendorp. ſcripſit Antipatro, Thraciam rebellare, praeſidiis, quae ibi reliquerat, interceptis, — quae epiſtolae vt interciperentur ab hoſte, curauit.) Poenitet me ingratae

gratae vocabuli in eodem paene verſu repetionis, etſi Frontinum non eum ſcriptorem eſſe ſcio, a quo ſumma elegantia, nitorque orationis exſpectari debeat. *Praeſidia* quoque *intercepta* nec ſatis aperte dicuntur, neque rei atrocitati ſatis reſpondent. Quid tentare nocebit: *interfectis?*

L. 2. c. 5. ſtrat. 4. in ipſam foſſam elephantos egerunt; quo vt primum illaqueati ſunt, partim magnitudine telorum confecti.) Recte vitium ſuboluit Oudendorpio, qui in animaduerſionibus: "non tam magnis, inquit, telis „opus eſt, vt elephantos grauiter vul- „neres, ſed haſtis et verutis militum. „Putem potius ab auctoris manu eſſe: „*magna vi.*" Haec ille, ſenſui quidem verborum optime conſulens, minime tamen corruptae lectionis veſtigiis obſeruatis. Religioſior mea ſuſpicio: *multitudine.* Ex ſcripturae compendio facil-

 lime

lime prior syllaba deprauari potuit. Apud Curt. 8. 14. *elephantus, qui multa exceperat tela*, occurrit, qui mox: *telis vndique obruitur.* Sil. Ital. 4. de iisdem belluis: *Stat multa in tergo et nigranti lancea dorso.*

c. 9. strat. 1. Marius, victis proelio Teutonis, reliquias eorum, quia nox circumuenerat, circum sedens.) Iterum virum sagacissimum audiamus: "In „mendo sine dubio cubat prior vox, „(*circumuenerat*.) Videtur scribendum: „*interuenerat*, vt coniecit I. F. Grono„vius, vel: *superuenerat*, vel: *certa„men diremerat.*" In codicibus, quibus V. Cl. abunde fuerat instructus, nihil praesidii, et quas proposuit coniecturas, ne quid dissimulem, longius mihi a vulgata lectione recedere videntur. Propius forsan ad veritatem accederet: *iram minuerat.* Nox ingruens impetum victorum cohibuit, repressit ardo-

ardorem, adeo, vt reliquis hostibus parcerent, postero demum die prorsus debellandis.

c. 12. strat. 2. Quod cum soluere ex disciplina fecisset.) Feliciter locum corruptum restituit Cl. Oudendorpius, legendo: *solerte*, quam emendationem mihi quoque, antequam nitidam ipsius editionem consulerem, venisse in mentem, laetor. Nunc cum mea esse desierit, addam saltem Apuleii alium, ad stabiliendam communem sententiam facientem, ex L. 8. p. m. 202. vbi canes venatici, *solertis disciplinae memores* vocantur.

Lucianus Disput. cum Hesiodo, T. III. p. 241. ed. Reitz. Τὴν τῶν μελλόντων, προαγόρευσιν, ὐδὲ τὴν ἀρχὴν ἐξαπέφηνας, ἀλλὰ τὸ μέρος τῦτο πᾶν λήθῃ παραδέδωκας, ὐδαμοῦ τῆς ποιήσεως ἢ τὸν Κάλχαντα, ἢ τὸν Τήλεφον, ἢ τὸν Πολύϊδον, ἢ καὶ Φινέα μιμησάμενος, ὅι μηδὲ παρὰ Μυσῶν τῦτυ τυ-

 χόντες,

χόντες, ὅμως προεθέσπιζον, καὶ οὐκ ὤκνουν χρᾶν τοῖς δεομένοις.) Ad haec Solanus: "Quis vnquam fando audiuit, Telephum „inter vates habitum? Corrupta igitur „haec vox, ſed quid reponendum ſit, non „aeque procliue eſt diuinare." Ceteri interpretes prorſus tacent. Nuper admodum, cum in hunc locum inciderem, proſpero meo fato, non quod pueri in faba, — veram, vt ſpero, lectionem, vnicam litterulam mutando, reperi. Scribendum, inquam, eſt: Τήλεμον. Scilicet hic eſt μάντις ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε, Τήλεμος Εὐρυμίδης, ὃς μαντοσύνῃ ἐκέκαστο, καὶ μαντευόμενος κατεγήρα Κυκλώπεσσι. Homero memoratus Odyſſ. I, quem ibi Polyphemus Vlyſſis dolum fatalem praedixiſſe ait. Ouid. Metam. 13. 771. *Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales.* Theocrit. Id. 6. 23, ὁ μάντις ὁ Τήλεμος, ἔχθρ' ἀγορεύων, Ἐχθρὰ φέροι ποτὶ οἶκον, vbi vid. Schol. Celebrem ergo

ergo augurem fuiſſe patet, dignumque, qui reliquis apud Lucianum adiungatur.

Id. in Epiſt. Saturnal. ibid. p. 407. Ἐγὼ μὲν πάλαι βασιλεὺς ὤν, πέπαυμαι ἅς ὤν, τοῖς παισὶ διανέιμας τὴν ἀρχήν.) Verba: ἅς ὤν, delenda cenſet Guietus, nec in codice quopiam exſtare Reitzius notat, qui ſic: "Merito Fl. haec omittit, „miſere enim repetitur vnico tantum „verbo interpoſito. Poſſem quidem „coniicere: ἐις αἰῶνα, in perpetuum de„ſtiti, ſc. regnare, ſed non ſatis certo, „ideo vncis illa ſuſpecta verba ſecluſi." Quid vero, ſi haec corrigenda potius, quam inclementer nimis eliminanda iudicemus, ſcribentes: ὕστερον, quisquamne lenitatem noſtram vituperaturus eſt? —

Dictys Cretenſis, ed. Dacier. Bataua. L. 1. c. 21. repente tonitrua, coruſca fulmina, et per ea terrae marisque ingens motus.) Haud equidem intelligo,

quomodo fulmina motum iſtum concitare potuerint. Grandines enim et imbres, mare turbantes, vt L. 6. c. 1. factum legimus, poſtea demum ceci-diſſe narrat. Praeſtiterit igitur: *prae-terea.*

L. 2. c. 33. neque amplius attentari corpora, et eorum, qui antea fatigabantur, tanquam ſperato diuinitus levamine, relaxari.) Turbat nonnihil legentem attentius: *tanquam ſperato.* Vindingius priorem voculam delet, ſed non ille magis ſatisfacit, ac Daceria, exponens: "innuit id potius caſu eueniſſe, quam ob pacatam iram Apollinis." Geſtio reponere: *tanquam inſpirato.* Frequenter DI dona ſua mortalibus inſpirare dicuntur, Theocrit. Id. 17. 51. de Berenice, inter Diuos relata: μαλακὼς μὲν ἔρωτας Προσπνείει. Statius ſilu. 1. 2. *Venus — tacitum inſpirat amorem Connubii*, Virg. Aen. 6. 12.

magnam

magnam cui mentem animumque Delius inſpirat vates. Val. Flacc. 7. 255. *Venus — permixtum odiis inſpirat amorem.* — Verum cui bono plura adſcribam?

L. 3. c. 5. perhibebatur quippe hic etiam ex his, qui a Phineo Agenoris originem propriam memoria repetebant.) Barthius in iſtud: *propriam*, aliquid, vt ait, correpſiſſe putat. Mirum enim eſſe, ni alienae potius, quam ſuae originis memoriam repetierint. Quin nos accedimus viri docti ſententiae, et coniicimus: *propiorem?* Statius Theb. 2. 437. *propiorque fluat de ſanguine iuncto Iuppiter.* et Achill. 1. 478. *patrii propior cui linea coeli.*

L. 4. c. 2[illegible] neque a Teucris ſecus bellatum.) Fortaſſe fuit: *ſegnius* L. 3. c. 4. *neque a Troianis ſegnius agebatur.* L. 4. c. 6. *neque ſegnius a Memnone actum.* c. 20. *egregius dux haud ſegnius imminere.*

nere. L. 5. c. 12. *Neque ſegnius — incendiis geſtum.*

c. 7. hinc Graecos reſumtis animis ſequi, caedere, impeditosque diſſoluere, atque ita confodere laxatos.) Rurſus eiicere iubet Vindingius *τὸ que*, nimis hercle! in adhibenda hac medicina facilis. Nos genuinam auctori lectionem, ipſo praeeunte, redonemus. L. 2. c. 46. locum obſeruaui, noſtri quam ſimillimum. *reliqui duces, vt quisque locum ceperat, caedere ſingulos, et vbi conferti ſteterant, bini aut amplius congregati, impetu ſuo diſſoluere, ac mox diſperſos palantesque interficere.* Viden, ſingula fere ſibi inuicem reſpondere: *impetu* hic *diſſolui congregatos?* Quidni ergo reſcribamus: *impeditos vi*[illegible] Vix alio modo vocula cum praecedenti coaleſcens, deprauari poterat.

c. 15. in luce belli Achilles interfectus.) Elegantiſſime! Daceria exclamat.

mat. Addo, quem ipſa laudare poterat, verſum Statii Theb. 3. 160. *bellorum in luce patenti Conſpicui factis.*

Succedat Apollonius Rhodius, variis adhuc mendis poſt Hoelzlinum obſitus, quo viro nemo certe ineptior ad Graecum quendam poetam commentario illuſtrandum fuit. Horum multa eluit feliciter Ruhnkenius V. Cl. in epiſtola critica ad Erneſtium, Lugd. Bat. 1751. 8. L. 1. v. 101. *Θησέα — Ταιναρίην ἀΐδηλος ὑπὸ χθόνα δεσμὸς ἔρυκε, Πειρίθῳ ἑσπόμενον κεινὴν ὁδὸν·*) Ex ſcholiis diſcimus, iam olim varie lecta fuiſſe poſtrema; *γράφεται καὶ κείνην. κεινὴν μεν, ἤγουν, κενὴν καὶ ματαίαν, κείνην δὲ, ἀναφορικῶς*, quae mihi varietas antiquam aliquam labem prodere videtur. Hoelzlinus, vt ſui ſemper eſt ſimilis, verbis obſcuris et ambiguis priorem lectionem exponit, atque etiam male: *viam irreducem* vertit. Senſus emerget non inelegans, ſi mecum

cum reſcribas: κοινήν. Theſeus auſa Pirithoi adiuuans, communem, vt notum, viam cum illo carpſit, deſcenditque comes ad inferos. Theocrit. 7. 35. ξυνὰ γὰρ ὁδὸς, ξυνὰ δὲ καὶ ἀώς.

v. 661. κακὴ δ' ἐπὶ πολλὸν ἵκηται Βάξις.) Hoelzlinus, ſolita perſpicuitate, "ad „plures: Aliud eſt in verbis, nimirum „quod κοινῶς ἐπὶ πολύ." An recte ego diuinaui: ἐπὶ πόντον, *ne turpis rumor trans mare etiam, ad gentes exteras perveniat?*

L. 2. v. 525. Ἱερὰ δ' εὖ ἔῤῥεξεν ἐν οὔρεσιν ἀστέρι κείνῳ Σειρίῳ.) Non inuitus equidem repoſuerim: δεινῷ. Nam iure grauis et metuendus dicitur ventus iſte, qui v. 518. οὐρανόθεν Μινωΐδας ἔφλεγε νήσους, — οὐδ' ἐπὶ δηρὸν ἔην ἄκος ἐνναέτῃσιν, adeo vt Ariſtaeus fuerit aduocandus, qui ſacrificio peſtem illam auerteret.

L. 3. v. 78. Καί μιν ἔπειτ' ἀγανοῖσι προσέννεπεν ἥγ' ἐπέεσσι.) Nonne, quaeſo, aptius

aptius in locum τῦ: ἦγ succedere posse existimas: ἦκ'? Fauet nonnihil arguтanti v. 107. Ἦκα δὲ μειδιόωσα παραβλήδην προσέειπεν.

v. 396. τοῖο δὲ θυμὸς Δικθαδίην πόρφυρεν ἐπὶ σήθεσσι μενοινήν.) Leue est, nec omittendum tamen semel in his minutiis versanti, scribendum esse: ἐνί. Exemplis parcam. Nolo in re tenui ambitiosus videri.

L. 4. v. 1717. Ἀνάφην δέ τε λισσάδα νῆσον Ἵσκον, ὃ δὴ Φοῖβος μὲν ἀτυζομένοις ἀνέφηνε.) Necessario reponendum: μιν. Idem sis Oppiano restitue, L. 3. Cyneg. v. 204. Ἄρσενα δ᾽εἰ μὲν ἴδοι etc.

Florus ex rec. Dukeri posteriore, L. 1. c. 3. sect. 5. Citauere leges nefas, sed abstulit virtus parricidam, et facinus intra gloriam fuit.) "Haec ve„terum codicum omnium, quos docti „viri viderunt, lectio est." Graeuius ait, idque confirmat Dukeri luculenter

ter ſilentium. — At vobis male ſit, membranae nequiſſimae, cum iſthac praua veſtra concordia! Vos enim meae ſuſpicioni nonnihil ponderis addituras, ſtultus antea ſemper credidi. Verum nil agitis. Veſtra cauſſa, niſi forte virorum doctorum diſſenſus acceſſerit, nondum coniecturam meam repudio. Flori quippe manum eſſe reor: *abſoluit*. Dictum eleganter, quaſi virtus ipſa viri iudex ſententiam pronuntiarit, inſontem videri Horatium, quem leges, partes accuſatoris ſuſtinentes, reum fecerant.

c. 17. ſ. 4. Ille per noctem paſtorio habitu ſpeculatus omnia refert. Tum iter.) Magnae circa hunc locum conſtituendum Criticorum trepidationes, nec, credo, quisquam interpretum non ſymbolam in commune attulit. Variant mirifice codices: *omnia. refert*, (*praefert*) *totum iter*, *tutum iter*, *tum iter*. Quidam: *iter*,

iter, plane omittunt, *Tunc ſic* (*ſi*) pergentes. Aliorum coniecturas prudens praetereo, moleſtius enim eſt, quam quis vulgo putet, deſcribere, quae probare ipſe non poſſis. Ne longum faciam, amplector, quam exhibet Dukerus lectionem, tantum muto: *iter* in: *itur*. Sic nihil amplius reſtare ambiguitatis putem.

L. 3. c. 3. ſ. 13. panis vſu, carnisque coctae, et dulcedine vini mitigatos Marius in tempore aggreſſus eſt. Iam diem pugnae a noſtro imperatore petierunt.) Salmaſius in libro Nazariano laudatiſſimo et inculpatiſſimo (pietatem Critici agnoſcis) poſt: *aggreſſus eſt*, ſequi notat: *venere illi quam et in barbaris multa veſtigia, diem etc.* quae corruptiſſima ita reſtituere conatur: *venere illi: Quam metus in b. nulla v. etc.* vt minus violenter, ita et feliciter parum. Coacti neſcio quid et ſcabri habet oratio, nec

D cum

cum ſequentibus pulchre cohaeret. Altius quoddam vulnus ſubeſt, ſic me iudice ſanandum: *Reliqua etiamnum b. militiae v. τὸ*: *vene* ex illo: *vini* in verſu praecedenti male repetitum a librariis ſequenti voculae adhaeſit, facilius ideo deprauatae.

L. 4. c. 5. ſ. 1. Quos (agros) Caeſar veteranis in caſtris pretium militiae perſoluebat.) N. Heinſius: *in* delet, et veterana caſtra militem veteranum interpretatur. Lipſius contra, et G. Voſſius: *caſtris* inſuper exſulare iubent. Neutri ego accedo, ſed ad ductum L. 11. pr. D. de Euiction: *poſſeſſiones — partim veteranis in praemium adſignatas*, quam laudat Dukerus, *caſtris* modo deletis, reliqua recte ſe habere contendo.

c. 11. ſ. 3. totus in monſtrum illud, vt mente, ita animo quoque et cultu deſciuerat.) Et hic locus crucem fixit commentatoribus, merito ignorare ſe faten-

fatentibus, quale ſit tandem diſcrimen illud, quod Noſter inter mentem atque animum hic loci voluerit intercedere. Freinshemio placet: *amictu*, ſed praefert Perizonius: *mimo*, quem Dukerus refellere ſatagit, longa oratione et verboſa nihil ipſe extricans. —

Atqui vultus erat multa et praeclara minantis. — Codex Voſſ. 3. *monſtrum iſtud mente iam animo q et cultuque.* Licet forte inde reſcribere: *vt mente vnanimi, ita cultu quoque d.*

c. 12. ſ. 48. inde partito exercitu totam in diem amplexus Cantabriam.) Corrigunt Freinshem. N. Heinſ. et Perizonius: *indidem*, Lipſ. et Gronouius moleſtas voculas eradunt. Oroſius, teſte Dukero, eadem narrans: *totam paene a. C. etc.* Nunc vide meam audaciam. Scibendum ſuſpicor: *totam tantum non a C. Tantum* ob vicini: *totam*, ſimilitudinem excidit.

Iuuat nunc euoluere L. Ampelium, quem Floro paſſim, vt a Dukero quoque factum, comitem quaſi adiungi videmus: Inſunt enim in eius libello plurima, quae medicas manus magnopere efflagitent. Mirari ſane nonnunquam ſubiit, cur a Criticis habitus ſemper ſit negligentius, et velut indignus iudicatus, in quo nauiter emendando ingenium oſtentarent. Tam parum hos bona ſua noſſe! Non ita Salmaſius, qui Solinum

Haud equidem ſine mente reor, ſine numine diuum,

arripiens, vaſtiſſimae eruditionis theſauros in illuſtrando eo perquam liberaliter expromſit. Ampelio duce et auſpice cur nemo itidem ad immortalitatem auſus eſt contendere? Certe ſcriptor eſt parum grauis et elegans, et habet multa, in quibus enarrandis librorum innumerorum lectio prodi, et animaduerſiones vſque ad inuidiam longiſſimae

con-

conſcribi poſſint. An aliud quidquam eſſe dicamus, quod Criticos pleroſque ad recenſenda veterum ſcripta inuitet? — Dum ergo *Salmaſii* cuiusdam *Secundi Exercitationes Ampelianas* exſpectamus auidi, noſtras in eum coniecturas proponemus.

C. 2. p. 10. Gemini, qui Samothraces nominantur eſſe, quorum argumentum nefas eſt pronuntiare praeter eos, qui in his praeſto ſunt.) Melius, credo, legeretur: *illis.* Intelligit ſacerdotes Deorum Cabirorum. c. 8. p. 16. In ſilua Panis ſymphonia in oppidum auditur.) Quodnam id oppidum? Certe nomen omittere non oportebat. Quid, ſi: *Aegipodum* corrigamus? Fuerit haec ſilua in monte Atlante, quem ait Plinius H. N. 5. 1. *Aegipanum Satyrorumque laſciuia impleri, tibiarum ac fiſtularum cantu, tympanorumque et cymbalorum ſonitu ſtrepere.* Ibid. in pariete

ſunt picti — manu Autochthonis, et nemo inuenire poteſt, quis pinxerit.) Atqui, o bone, Autochthonem ipſe artificem nominas. Legendum: *quî*, nempe; qua ratione, qua de cauſſa, etc. Ibid. p. 17. lapis — lac demittit; ex altera autem parte ſimiliter ſi frices, ac ſi ſanguinem remittit. Perizon. *remittat*. Sed ſic: *eſt*, aut ſimile aliquid antea exciderit, neceſſe eſt. Legamus: *ex ſe*. Ibid. lucerna — quam neque ventus aſpergit, nec pluuia exſtinguit.) Munckerus ineptae haec dici agnoſcens, vult: *diſpergit*. Ego loco transpoſitione ſuccurro: *n. v. exſtinguit, n. p. adſpergit*. Ibid. p. 18. Marmeſiae apud Sipylum.) Corrigebat G. Voſſius, *Magneſiae*, nec repugno. Sed verior mea emendatio: *Hermeſiae*. Plin. H. N. 5. 29. *Interiere intus Daphnus et Hermeſia et Sipylum*. Erant, vt videmus, vrbes inter ſe vicinae. Ibid. ſignum Iouis Olym-

Olympii aereum, facies ex auro, quem fecit Phidias.) Subesse mendum, prima specie non adeo manifestum, docet Plin. H. N. 34. 8. *Phidias Atheniensis Ioue Olympiae facto ex ebore quidem et auro*, eademque alii, Pausanias inprimis, narrant. Quin nos ocius in Ampelio: *eboreum* reponimus? c. 19. Scaurus, qui vetuit filium in conspectum suum venire, quia bello Cimbrico (sic recte Dukerus) deseruerat.) Verbum, quod hic desideratur, restitues ex Aurelio Victore de vir. ill. in vita Scauri, vnde haec transcripsit Ampelius. Sic enim ille: *filium suum* quia praesidium deseruerat, *in conspectum suum vetuit accedere*. Ibid. Scipio Nasica, quia non rite etc.) excidit post vocem primam: *qui*, propter sequens: *quia*. c. 20. Trecenti sub Calpurnio Flamma contra Poenos, qui in Siciliensi saltu, mortuo exercitu, populum Romanum libera-

 verunt,

verunt, vt plane CCC Lacedaemoniorum apud Thermopylas gloriam adaequarent.) Dicitur emendasse Freinshemius: *moritur*, quae correctio sensu caret, operarum procul dubio erroribus deformata. Dukerus legit: *mortui*, s. *morte sua exercitum populi Romani l.* Cum Florum, eandem historiam prodentem memoriae 2. 2. 13. consulerem, legeremque ibidem: *virtute Calpurnii Flammae — qui — adeoque moratus hostem, dum exercitus omnis euaderet*, venit mihi in mentem, potuisse scribere Nostrum: *morati exercitum*, scil. hostium, vitiosa negligentia, a qua sibi scriptor iste plebeius passim non cauit. Florum sane ante oculos habuit, iisdem enim fere verbis expressit, quae sequuntur: — *pulcherrimo exitu Thermopylarum et Leonidae famam adaequauit.*

c. 33. p. 31. Attalus, qui pro Romanis saepe pugnauit. Nam testamento

suo

ſuo P. R. heredem fecit.) *Tandem*, arriſit Perizonio; quid ſi: *Idem*? c. 39. p. 33. Tatius — interuentu Sabinarum pacem cum Romulo fixit.) Liuius ita 1. 13: *inde ad foedus faciendum duces prodeunt, nec pacem modo, ſed et ciuitatem — faciunt.* Malim itaque legere: *fecit*. Alioquin et: *pacem figere*, nimis inſolenter dici videtur. Ibid. Romanos ad Ianiculum obſedit, propterque Tarquinios.) Vix operae pretium eſt, monere, *que* delendum eſſe.

Serenus Sammonicus, poët. lat. min. T. 2. ed. Burman. v. 888. ſubiti noua cauſſa doloris, Cuius origo latet, veris reprimenda medelis.) Non abs re ſuſpectae Burmanno viſae ſunt *verae medelae*, quas explicari poſſe credit; remedia probata vſu et experientia, addens tamen coniecturas tres; *ſeris*, quia initio latuit cauſſa morbi, *certis*, et: *miris*. Sed valeat, ad finem exclamat,

 ſcripto-

ſciptorum et editorum auctoritas prae coniectura. Nihilominus exiſtimo, minima licentia, cum praeſertim Regius codex: *veneris* exhibeat, reſtitui poſſe: *variis*. Tria certe medicamenta generis diuerſi proximis verſibus ipſe recenſet.

v. 1016. ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt. Quod fieri nobis ſuffragia iuſta recuſant.) Paucis vt me expediam, dicam tantum, ſcribendum mihi videri: *recuſat*, ſiue, vt margo editionis Hummelbergiae et Conſtantinus habent: *recuſet*. Ideo morbus iſte, Noſter ait, dictus comitialis eſt, quoniam prohibet atque impedimento eſt, ne comitia ſemel coepta ad finem plene perduci, adeoque ſuffragia legitime a populo ferri queant. Sic operoſis Burmanni commentis tuto carebimus.

v. 1091. cineres vel hirundinis altae Inducas.) Quidam: *atrae*, vel: *alte*, ſcribi

ſcribi volunt; Pictorius exponit: in altum aedificantis. Non alienum fuerit: *albae*, ſi Plinius forte, ſcriptoresue medici addicerent.

Auſonius ex rec. Tollii, epig. 33. v. 7. Nec ſtudeat quaſi caſta loqui.) Senſus quidem horum verborum facilis et planus, nec quidquam obſcuritatis, fateor, ineſt. Interim elegantius multo, genioque dictionis Auſonii, et epigrammatis lepori conuenientius ſcriptum olim fuiſſe ſuſpicor: *Veſta*. Hanc ego amicam nolo, Auſonium, hac admiſſa emendatione, crede, nobis ſuffragantibus hercle! dicere, quae Veſtae ad inſtar, Diuae, ſumma pudicitia, morumque ſanctitate conſpicuae, nulla, niſi caſta verba, et grauia omnisque gratae proteruiae et laſciuiae expertia, proferre ſtudeat.

Profeſſ. 5. 17. diſertus, lucida facundia. Carere cultu praeditus.) Mendum

dum qui haec legens non animaduerterit, nae is quouis ICto *** ſtultior ſit neceſſe eſt. Scaliger coniiciebat: *Cangre*, probante Tollio, qui tamen et vulgatum poſſe defendi autumat. Quid ſi verum eſſe, mecum Tibi perſuadeas: *Graioque?* Cuius oratio Graecorum elegantiam refert, Graecorum lectione expolita eſt, et ornata.

11. 49. Sed tamen hunc noſter Commemorauit honos; Religioſum etenim Commemorare meae Grammaticum patriae.) Subſtituendum apparet: *Non memorare.* Statim, ecce, cauſſam addit: *Ne pariter tumulus Nomen et oſſa tegat.*

Gratiar. Actio. c. 21. adhuc obnoxii in paginis concrematis ductus apicum et ſeſtertiorum notas cum iuuantia de ratione cernebant.) Non eſt hoc quisquam corruptior in Auſonio locus. Scaliger tentabat: *cum titubantia et trepi-*

datione,

datione, et applaudit Acidalius, ob vocem, puto, belliſſime fictam. Gronovius: *cum ingenti trepidatione;* Hotomannus non minus venuſte Scaligero: *cum denariaria ratione.* Tollius denique, ne nihil egiſſe videretur: *conniventi*, ſ. *collucenti de r.* nobis propinat. In vno codice exſtat: *coniuuantia*, alter mirifice habet: *cum XXX*, atque inde librarium *triginta*, aut ſimile quid legiſſe patet. Tot — ſuſpicionibus dicam, an nugis? — noſtras addere non erit piaculum. Fuit nempe, cum legerem: *cunctanti adoratione.* Timidi adhuc ciues propter tenues tabularum concrematarum, quas videbant, reliquias nondum libere Imperatoris indulgentiae gratias agere audebant.

Longus Paſtoral. L. 4. p. 164. ed. Iungerman. *ἀκέσας — ὁ Ἔυδρομος, ἐμπαροίνημα γενήσεται τοιοῦτον κάλλος.)* Claudicat verborum ſtructura. Iungermannus, nimis

nimis de ſuo liberalis, cupit inſerere poſt Ἐνδ.: ἀχθόμενος ὅτι ε. ſed parcior eo Mollius: ἐι, tantum excidiſſe credit, quod tamen graeca hic minime admittunt. Tu ſi me ſuadente: ὡς, reponas, quod deſideres amplius, non habebis. Periit illud ſyllabae vicinae inſidiis.

Achilles Tatius, L. 5. p. 319. ed. Salmaſ. Ἐλέησον με — γυναῖκα, ἐλευθέραν μὲν, ὡς ἔφην, δούλην δὲ νῦν, ὡς δοκεῖ τῇ τύχῃ.) Reddidit interpres: *vt vere affirmare poſſum*, languorem, quem verbum deprauatum infert orationi, minime animaduertens. Scribendum enim, mutata littera vnica: ἔφυν, ſi loco ſuam velimus denuo conſtare integritatem. Liberam ſe natam quidem refert mulier, ſeruam autem ſortis arbitrio factam. Quid pote dici clarius?

Iuſtinus L. 6. c. 4. ed. A. Gronou. ciuitas ex infimis incrementis — ad ſpem imperii Graeciae erecta eſt.) Bongarſius

garſius quasdam editiones: *infinitis*, codices autem: *finitimis*, habere notat. Confirmat id Schefferus, cui non immerito *infima* iſta *incrementa* ſuſpecta ſunt, parum ex mente auctoris, timide quamuis *eximiis* coniicienti. Propius ad veritatem accedet ſuſpicio mea: *infirmis*, et illa, licentior nonnihil: *minimis*.

L. 9. c. 8. vt nec ornatui facilitas, nec facilitati inuentio, nec inuentionibus deeſſet ornatus.) Sic bene Graeuius, obſecutus Oxonienſibus, edidit, cum antea minus eleganter legeretur: *nec facilitati inuentionum d. o.* Addit, malle ſe: *inuentionis*, et ſane Ioh. Sarisberienſis, teſte Vorſtio, citans iſta, *inuentionis*, legit. Seruari poterit vltima ſyllaba, ſic refingenda: *inuentioni ſuus*.

L. 11. c. 8. dubiae ſe fidei medici credere.) Praetulerim: *medico*. Supra c. 1. *gentes fidei dubiae*.

L. 12.

L. 12. c. 15. ambitione vulgi tacitum fauorem militum quaerunt.) Non intelligere se fatetur Graeuius, quid sit hic *tacitus fauor*, et censet Iustini esse: *tacite*. Aliorum conatus: *Amb. tacita vulgi m. f. q.* et: *Amb. vulgi militum t. f. q.* Schefferus adducit, ipse ad ductum codicis cuiusdam, in quo: *tanti cum*, fuit, *Amb. vulgari tanti tum f. m. q.* parum, vt solet, probabiliter, reponens. Nescio, cur placuerit nemini: *nutantium;* scilicet, *quorum et libertas solutior, et fauor incertus erat*, vt ait L. 13. c. 2.

L. 13. c. 7. virginis nomine ex responsis agnito, vrbem Cyrenem condidit.) Quare τὸ: *agnito*, nullo modo tolerari possit, quaerentem fuse docebit, quem describere animus iam non est Tan. Faber. Schefferus illud delenti non prorsus accedit, sed mendum subesse credit, quod aggredi non audet, Mu-

sis

ſis tunc forte bono viro aduerſantibus. Mihi igitur tam inſignis facti cedet gloria, reponenti: *auſpicato*, idque, quod tutiſſimum fere, praeeunte Noſtro ipſo, L. 8. c. 2. vbi ſimiliter: *tot vrbes auſpicato condiderant.* Et hic, vt aliquoties monui, ſcripturae compendium deſcriptori cauſſam errandi praebuiſſe, credibile eſt.

L. 43. c. 3. rogantur etiam Graeci hoſpites ad conuiuium.) Graeuius vult: *vocantur*, et recte Vorſtium formulae latinitatem ex Ambroſio ridicule defendentem, refellit. Sed obſeruaui ſimilem in melioris notae ſcriptore, Claudiano, epiſt. ad Serenam, v. 22. *Adnati thalamos auſa rogare parens.* qua forte lectio recepta defendi poterit.

c. 5. vltro pacem Maſſilienſibus fecit.) *Pacem alicui facere*, inſolens locutio.

Inſeramus: *cum*, ſyllaba proxima exturbatum.

Claudianus in Eutrop. L. 2. v. 147. ed. Burman. In ſplendida illa, magnique ſpiritus oratione ad Bellonam Gradiuus ita: Thracum Macedumque ruinae Taedet, et in gentes iterum ſaeuire ſepultas. Damna minus conſueta movent.) Non placere ſibi, Deus oſtendit, easdem ſemper regiones, iam olim vaſtatas caedibus, inuadere, alias gentes in ferrum eſſe concitandas, nouis ex cauſſis et inſolitis inſtantem belli tumultum originem trahere debere. Perſpicua cuncta: tantum minus apte: *movent*, hic poſitum eſt. Quem enim, quoue modo damna iſta mouere dicuntur? Martemne an populos, quibus bellum infertur? Nihil licet tot codices varient, ſuſpicor tamen, ſcribendum eſſe: *iuuant*. Hoc et Martis truculentiae

lentiae et reliquae orationi probe convenit.

De bello Get. v. 631. Sed Dea, quae nimiis obſtat Rhamnuſia votis. Ingemuit, flexitque rotam.) Cur tandem ingemuit Diua eo tempore, quo ſuae potentiae clariſſimum documentum edidit, coniugis Alarici ſpes inſolentes faſtusque coërcens? Non fugit id N. Heinſium, qui proinde: *infremuit*, ſubſtituebat, Geſnero, vt video, approbante. Sed neque iram Deae hoc loco deſideramus. Ipſe aliquando margini libri mei alleueram: *Id vetuit:* Tuum eſt, quod placeat, eligere.

epig. 22. v. 3. Lemnia nec ſemper ſupplex ardentis adibat Antra Dei, nato galeam factura comantem.) Heinſius ſic. "*Fractura*, tres Florentini et ter„tius Vatican. et ſane Tethys galeam non

 „fecit,

„fecit, ſed Vulcanus. *Forte: Pactura* „legendum; praeceſſit tamen et: cly- „peum fabricabat." Vt fluctuat vir doctiſſimus! Mihi dubium non eſt, quin Claudianus reliquerit: *latura*: Apud Homerum ſic Tethys ad Achillem, Il. Σ. v. 136. Ἠῶθεν γὰρ νεῦμαι, ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντι, Τεύχεα καλὰ φέρουσα παρ' Ἡφαίστοιο ἄνακτος. v. 146. Ἥιεν, ὄφρα φίλῳ παιδὶ κλητὰ τεύχε' ἐνείκοι. v. vlt. Τεύχεα μαρμαίροντα παρ' Ἡφαίστοιο φέρουσα. Il. T. v. 3. Ἡ δ' ἐς νῆας ἵκανε, θεοῦ παρὰ δῶρα φέρουσα.

Val. Flaccus L. 1. v. 474. ed. Burman. feſſum Phylace quem miſerat aeuo.) Poëtice magis ſcripſiſſe vatem crediderim: *aeui*. v. 771. *aeui rudis altera proles*.

L. 2. v. 214. tum verbere victas In thalomos agit, et cunctantibus inuenit enſes.)

enses.) Venus hic nobis sistitur, mulieres Lemnias in facinus, caedesque maritorum instigans. Suspectum fuit Heinsio: *inuenit*, pro quo acute: *ingerit*, malebat reponere, repugnante licet Burmanno, qui non mouendum illud monet, quod magis furorem et vires Deae exprimat, quae enses, qui ad scelus deesse videbantur, subito inuenit. Piget profecto argutiarum orationisque, si hanc explicationem admittamus, nimis contortae et obscurae. Scribamus potius: *inserit*. Apud Statium Theb. 5. 230. Hypsipyle idem nefas ex ordine referens: *tum saeua parens iam coniuge fuso Adstitit, impellitque minis, atque inserit ensem.*

v. 449. citum strictis alius de cautibus ignem Ostendit foliis, et sulphure pascit amico.) Heinsius. "Puta-

„bam aliquando; *Extundit*, *foliisque*, „vel: *Excudit*. *Ostendere ignem* habes „etiam 3. 603." Sed ibi sensu longe diuerso vsurpatur formula. Et quomodo, quaeso, isti poterant *ignem* iam *citum*, adeoque paratum, denuo extundere? Nondum reiicio coniecturam meam: *Sustentat*, id est, excipit foliis, his tanquam fomite vtitur.

L. 5. v. 102. Altius in ventos recipit ratis.) Varie locus hic tentatur ab interpretibus. Pius: *hinc*, Sabellicus: *cecidit*, Maserius: *recidit*, reponere gestiunt. Burmannus quasi desperabundus, *intentos* coniicit, et nihil se inuenire melius fatetur, atque alios de vera lectione restituenda cogitare iubet. Morem illi gerens, scriptum fuisse diuino: *rediit*. Sic certe v. 212. *Protinus in proram rediit ratis*.

L. 7. v. 166. totis adſtantem noctibus anguem. — Soluat, et in ſomnos ingenti ſoluat ab orno.) Odioſam vocat Heinſius repetitionem eiusdem verbi, et a mala manu. "Forte, addit: „*Sopiat inſomnem*, *atque i.* vel: *auellat* „*ab o.* niſi praeſtiterit: *euoluat.*" Iſtae quidem curationes nimis violentae ſunt. Recte obſeruat Burmannus, τὸ *ſoluat* poſterius remoueri non poſſe, pro priori autem mauult: *Molliat*, *in ſomnosque.* Probabiliter mihi repoſuiſſe videor: *Sternat et in etc.* Verbum ſane, aptius ad anguem *adſtantem* referendum, vix vllum inueniri poſſe, arbitror.

L. 8. v. 318. Haud ita ſed ſummo ſegnis ſedet aethere Iuno: Haud ſinit extrema Minyas concurrere pugna.) Prior verſus admodum mendoſus Heinſio videtur, qui in Val. Flacco auda-

cioribus ſubinde coniecturis indulgens, emendat: *Viderat, vt ſ.* atque alio modo: *Vidit, et haud ſ.* Burmannus Balbi veſtigia premens, praefert: *Haud ita: nec ſ. — Aut ſinit e.* Pace virorum eruditiſſimorum dixerim, neuter ſenſum loci verum aſſecutus eſt. Scilicet verborum ordo ita eſt conſtituendus: Sed Iuno ſedet haud ita ſegnis ſummo aethere, *Aut* ſinit etc. ita enim poſterius recte emendatur. Sic cuncta, remota difficultate, integra ſeruari poterunt.

Heliodorus L. I. p. 8. ed. Bourdelot. *οἱ δὲ λῃσαὶ πρὸς τὴν διαρπαγὴν, καὶ ταῦτα σπεύδοντες.*) Vertere neglexit latinus interpres: *καὶ ταῦτα*, nec iniuria. Mendum quippe, verbo poſteriori inhaerens, obſtat, quo minus commodus inde ſenſus elici queat. Ne amplius ergo de nihilo adeſſe videatur, lectoremque

more-

moretur, corrigamus: καὶ αὐτοί. Latrones, recens aduenientes, ipsi quoque, non minus ac turba priorum, quam fugauerant, praedae et rapinae paratae inhiabant.

L. 4. p. 185. ὅτε σε ἐχρῆν ἔπεσθαι καὶ χαίρειν, ἀποθύειν τε χαριστήρια τοῖς θεοῖς, — τότε σκυθρωπὸς καὶ σύννους, καὶ μονονοὺ θρηνεῖς, οὐκ οἶδ᾽ ὅ, τι πεπονθώς.) Atqui nihil praecesserat, nec quidquam omnino post occurrit, quod Charicles sequi debuisset. Alienum plane est hoc verbum a reliquae narrationis serie. At quid apertius, quam restituendum esse: ἥδεσθαι? Constat hoc cum χαίρειν coniunctum apud optimos scriptores frequentissime occurrere.

ibid. p. 189. ἐπῆχέ τις βοὴ παριόντα· Σὺ σπεῦδε, ὦ 'γαθέ, ξένων καλούντων.) Quomodo tandem acclamatio ista euntem

cohibere potuit, quae potius celerare iter inſtitutum iubebat? Certe ſi e longinquo epulantes ſenem ad ſe vocaſſent, recte illum admonere viderentur, vt greſſum ad ipſos alacriter dirigat. Hic vero praetereuntem modo inuitant, quod firmant ſequentia: ἐπέσχον τὴν ὁρμὴν, ὡς τούτων ᾐσθόμην. οὐδὲ γὰρ ἦν μοὶ θεμιτὸν, ἱερὰν κλῆσιν παραδραμεῖν. Scribendum crediderim: Οὐ σ. vel, ſi hoc minus arriſerit: σὺ οὐ σ. *Ne feſtines, o bone, pergas vlterius, cum te hoſpites vocent.*

L. 5. p. 227. σοῦ τῶν παίδων ἡ μὲν θυγάτηρ ἤδε σώζεται καὶ ὁρᾶται, ὁ παῖς δὲ ὅσον οὐδέπω σὺν θεοῖς ὀφθήσεται.) Facile, vt exiſtimo, patet, pro ἤδε ſcriptum a Heliodoro fuiſſe: ἤδη. Filia, inquit, *iam* ſeruata eſt; filius *breui* conſpicietur.

ibid.

ibid. p. 235. *ἦ μὴν αὐτόν τέ σε, ὡς ἀδελφὸν, παῖδάς τε τὰς σὰς ἴσα καὶ παισὶν ὁρᾶν τοῖς ἐμοῖς.*) Haec ſic vertuntur: *me te — et tuos liberos — ferre in oculis;* bene, quod ad ſenſum, verbis tamen, vt nunc concepta ſunt, minus conuenienter. Nunquam enim Graeci formulam: *ὁρᾶν τινα*, iſto modo vſurpant. Genuinam procul dubio ſcripturam indagaui: *ἐρᾶν*.

ibid. p. 238. *οὐκοῦν — εἰ δὴ μέλλει τὸ ἐμὸν ἰσχύειν πρόσταγμα τῆς ἀρχομένης ἂν βουλοίμην ἀποπλεῦσαι νυκτός.*) Non opus eſt, vt multis Tibi perſuadeam corrigendum eſſe neceſſario: *εἰ τί*.

L. 9. p. 441. *θεασάμενος — πολλῷ αἵματι ῥεόμενον, τοῦτο μὲν ἐπαοιδῇ διὰ τῶν τοῦτο ἔργον πεποιημένων ἐπέσχε.*) Vox penultima deprauata peſſimam hanc nobis interpretationem peperit: *iis, quae*

ad

ad hunc vſum parata fuerant. Negligentiae profecto Bourdelotii ſuccenſeo, non curantis reſtituere, quod vnice, mea quidem ſententia verum eſt: πεπνυμένων. *Per huius rei peritos,* nempe medicos, qui incantationum eiusmodi, per quas ſanguis ſiſteretur, gnari erant, de quo curationis genere praeter alios videndi Homeri interpretes fere cuncti ad Odyſſ. I. Certe virum doctum magis de formulis ritibusque illuſtrandis antiquis, quam de verborum integritate ſollicitum fuiſſe deprehendimus.

Sed iam profecto

Lumbi ſedendo, oculique ſpectando dolent.

Iam finem in ſyllabas miſellas ſaeuiendi faciam. — Serius id quidem, inquies, quam vellem. Nonne calamum pridem poſuiſſe oportuit? Quin tu tibi homi-

homines otiosos quaeris, quos tua garrulitate impune eneces? — Fateor, mea suauitas, verum ignosce! Hoc mihi scribenti vitium est; iniussus nunquam desisto. Plura, quae ad alios quosdam scriptores mihi in promtu sunt, ne me pro epistola Barthii Aduersaria postuma describere suspicere, alio loco forsan, dabitur expromere. Tu, si me audis, his nostris perlectis, ad Klotzia scripta statim confugies, hisque taedium ac molestiam, quam tibi tot vocularum misere afflictarum tinnitus hercle! elegans, tot lectionum varietates bellissimae non creare non poterant, protinus facessere quam longissime iubebis. Mihi sane, dum istas animaduersiones conscribo, rugae tres in frontre exortae sunt. Quali tandem, obsecro, ingenio illos esse existimemus, qui cum se litterarum elegan-

tiorum

tiorum amicos et doctores profitean-tur, disciplinarum, quae quidem ho-mine ingenuo, institutoque liberaliter dignae sunt, rudes, certe blandae istius voluptatis, qua suos cultores beant, prorsus expertes, membranis vetustis excutiendis, aut emendatiunculis innu-meris excogitandis, indefesso studio vs-que vacant, atque omnes ingenii cor-porisque vires labori huic, vtili sane, minimeque taxando, sed si totam vi-tam hominis occupet, ridiculo, vano sterilique impendunt? — Quamquam quid ego talia? Cur Criticorum genus irritabile in me imprudens concitem? An, vt ex iis vnus calidior forte et fe-roculus in me insurgat, et capitis cu-iusdam Obseruationum suarum argu-mento post consueta illa: *Suidae lux, Hesychius bis correctus, Plautus leuiter adiutus*, horribile hoc: *Herelius refu-*

tatus,

tutus, *Error Herelii oſtenſus*, inſerat? Τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών! Quare verbum non amplius addam. — Ecquando autem erit tempus auſpicatiſſimum, votisque meis ſemper efflagitatum, cum mihi relictus et meus, totum me in ſacraria Muſarum blandiorum recondam, cum procul a patria ingrata, calumniisque ciuium meorum et inſidiis ereptus, quodcunque aeui fata mihi conceſſerint, in otio placido amoeniſſimoque transigam? Vnquamne vitae ciuilis, ad quam me naturam aptum finxiſſe minime, omnes qui me norunt, intelligunt, ſtrepitu moleſtiisque liberatus, fortunae ludibria inter ſapientum ſcripta, paucosque amicos, ſed iucundos, ſed candidos, ſecure potero contemnere, an iterum delatus in loca, doctrinae liberalioris inſectatione nota, circumdatus rabulis hoſtilibus, inuiſus omni-

omnibus et despectus, inutilis aliis, mihi grauis ipse, mortem vitae infelicis, miseriarumque finem exspectabo? —

But break, my heart, for I must hold my tongue.

Vale, Vir Amicissime, nostrique memor, prosperioribus fatis nunquam non, precor, vtere. Scr. Gottingae, Prid. Kal. Aug. MDCCLXVII.